

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Meditationum evangelicarum pars secunda, hoc est:
Solida, ad discendam & exercendam, ex evangeliis tam
dominicalibus quam festivalibus Christi & sui-ipsius
notitiam, informatio**

Creide, Hartmann

Francofurti ad Moenum, 1682

Exegesis

[urn:nbn:de:bsz:31-126164](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126164)

Quare Dominus meus flet? Respondit Prophetam: quia scio, quæ facturus sis Israël mala: ostendit mihi Dominus, te Regem Syriæ fore, 2. Reg. 8, 7. & seqq.

In prælecto Evangelio audimus, non Prophetam Elifæum, sed cum lacrymas emittere, qui est Dominus gloriæ, 1. Cor. 2, 8. auctor vitæ, Act. 3, 14. Deus super omnia benedictus in secula, Rom. 9, v. 5. Et quidem illo tempore, cum tanquam Rex filia Sion, magno populi júbilo ingrederetur Hierosolymorum urbem, Omnes enim gratulabundi acclamabant, Hofanna filio David, Benedictus &c. Propterea potiori jure quæramus: Quare Dominus meus flet? Gravissimæ sanè causæ lacrymas tibi expresserunt.

Causa lacrymarum est, funestissimus interitus Hierosolymæ, in toto Oriente florentissimæ, ubi Deus ignem & caminum suum habuit, Esa. 31, v. ult. Ideò servator ait: Si tu cognovisses, & quidem in hac die tuâ, quæ ad pacem tibi &c.

Certissimè persuadeamus nobis, Dominum adhuc hodiè flere, quando cernit, non modò in politia omnia turbari, ut quasi lapis super lapidem non relinquatur, ob simultaneam mutationem, quæ tam intra quam extra Romanum imperium, paucis abhinc annis contigit, sed & sanctuarium per varias hæreses & sectas multis modis profanatum, & in speluncam latronum commutatum esse. Præterea causæ sat est, cum Davide conquerendi: Defecit sanctus, Psal. 12, v. 2. quod si quæremus cum Bernhardo: *Bone Jesu, quid ploras?* respondit ille dicens: *Ploro, quia passio mea sufficit multis, prodest paucis.* Sicut & per Prophetam ait: Ex te perditio tua Israël, Ol. 13, v. 9.

Nos absq; ulteriori præfamine ipsum Evangelium meditandum aggrediemur, ex eodem pro instituti ratione tractaturi:

I. *Ἀποστολοῦ ἰαν*, sive *notitiam nostræ.*

II. *Χριστοῦ ἰαν*, sive *notitiam Christi.*

J.J.

Exegesis.

Civitates, quò majores, eò deteriores, plena turbis, sed magis turpitudinibus, plena divitiis, sed magis vitiis, inquit Salvianus.

Idem dicere possumus de Hierosolyma: erat illa pulchra, magna, munita, & opulenta. Sed cives enormiter peccabant, subsannantes & irridentes nuncios Dei, qui à Deo ad ipsos mittebantur, & penitentiam prædicabant, 2. Chron. 36, 16. vertebant ad Deum tergum, Jer. 2, 27. & omnes conversi erant ad cursum suum, quasi equus, impetu vadens ad prælium, Jer. 8, 6. idè tandem funditus deleti sunt, ut lapis super lapidem non fuerit relictus, sicut Servator in prælecto Evangelio ipsis prædixit.

Nos hinc ansam capimus, *notitiam nostræ* meditandi, quando intuemur:

I. *Cæcitate Judæorum supinam*, qui non cognoverunt, quæ ad pacem sibi conveniebât.

Deus multifariam ipsos præmonuit, per Prophetas suos: præterea ablegato jam filio suo, penitentiam & remissionem peccatorum prædicabat, Matth. 4, v. 17. Sed omnia frustra tentabantur, in pertinaciâ suâ præfractè perseverantes dicebant: non veniet super nos malum, Jer. 5, 12. in eo enim confidebant, quod semen Abrahæ essent, Joh. 8, v. 33. & quia Deus ipsos in peculium suum elegerat, Deut. 7, 6. opinabantur, se non abjici posse; hinc identidem ingeminabant: Templum Domini, Templum Domini, Templum Domini, Jer. 7, 4.

Pp 2

Hæc

Hæc supina erat cæcitas : meritò enim perpendere debuissent. Deum non esse personarum acceptorem, Act. 10. v. 34. Iccircò malè quoq; ipsis cessit. Quanto enim amore ipsos complexus, dum in præceptis ejus ambularunt: tanto furore eosdem persecutus est, ubi à mandatis ejus defecerunt, faciens eos in execrationem, & in stuporem, & in maledictum, & in opprobrium, Jer. 42, 18. Thren. 2. v. 17.

Quilibet hic seipsum in examen vocet, an non & ipse hac in parte peccaverit, ut qua ad pacem suam pertinent, à se rejecerit, & despexerit?

Hoc nimis familiare est, ut propterea non temerè querela Prophetæ nobis repetenda: Vident multa, neque observant. Apertas habent duas aures, nec tamen audiunt, Esa. 42. v. 19. Filii colligunt ligna, & patres succendunt ignem, Jer. 7. v. 8. à minimo usque ad maximum omnes avaritiam sequuntur, Jer. 8. v. 10. tamen levipendunt, dicentes: pax, pax, cum non est pax, Jer. 8. v. 11. quia neque ab oriente, neque ab occidente, neque à desertis montibus malum ingruet, Psal. 75. v. 7. At:

Quò major securitas, eò propior pœna est.

Intuemini primum mundum! Erant comedentes & bibentes, nubentes & nupti tradentes, donec venit diluvium, & tulit omnes, Gen. 7. vers. 1. seqq. Matth. 24. v. 38. Quid evenerit Sodomitis, vide Gen. 19. v. 24. 25. De Achab, Michæ præmonitionem spernente, 1. Reg. 22. v. 27.

Quando quis igne læditur, continuo membrum retrahit: nos verò ad eò occæcati sumus, ut igem non sentiamus, quem Deus in portis nostris accendit: quin idem nobis evenit, quod muscis majoribus, qui candelæ advolant, & paulatim alas suas ad-

urunt, dum volare amplius nequeunt. Sic nos facile scimus, nos peccatis nostris Dei iram provocasse, non tamen desistimus, neque desistemus prius, quàm in barathrum infernale præcipitati, uramur, nec comburamur, moriamur, nec mori possimus, Apoc. 9. v. 6.

Hanc cæcitatem & obdurationem Deus hominibus quandoq; ex justo judicio suo immittit, quia audire & videre nolunt, ut deinde videre & audire nequeant, Psal. 81. v. 11. Rectè enim Augustinus: *Quando Deus deseritur ab homine, homo rursus deseritur a Deo.* Qui verò à Deo desertus, verè omni solatio derelictus est. Væ illis, ubi ego discessero, ait Deus, Ose. 9. vers. 12.

Quanta hæc pœna sit, verbis exprimi, nedum cogitationibus, perpendi nequit. Bellum, fames & pestilentia, pœnæ sunt atrocissimæ, quibus Deus mundum ob peccata castigat: sed respectu cæcitatis & obdurationis hujus leviter æstimanda: & præstat, homines ab una harum vel omnibus simul invadi, quàm occæcatione ejusmodi à Deo puniri. Quin quodammodo melius est, Satanæ in hoc mundo tradi, quàm cordi suo impœnitenti relinqui, siquidem illi, qui ita temporaliter Satanæ traduntur, ex vinculis ejusdem per gratiam Dei & seriam pœnitentiam redimi possunt, 1. Cor. 5. v. 5. Qui verò cordis sui desiderii traduntur à Deo, iniquitatem super iniquitatem incurrunt, Ps. 69, 28. & juravit Deus in irâ suâ, non introituros eos esse in requiem suam, Psal. 95. v. 11.

II. *Consequentem urbis ruinam.* Quia venient dies in te, inquit Servator, & circumdabunt te inimici vallo: & circumdabunt te, & coangustabunt te undique, & ad

ad terram prosternent te, & filios tuos, qui in te sunt. Et non relinquent in te lapidem super lapidem.

Hoc ita per Romanos impletum est. Quia enim rebellantes, Cestum Florum cum copiis suis profligaverant, ut Josephus scribit, exinde Romani ad novum bellum ansam ceperunt. Titus enim Vespasianus filium suum Titum, cum ingenti exercitu ablogavit: qui adeo arcte Hierosolyma obsedit, ut nemo exire vel ingredi potuerit, hoc ipso cives in tantas angustias redacti sunt, ut seditionibus, fame & pestilentia multa millia absumpti sint: tandem urbem occuparunt, adeoque everterunt, ut lapis super lapidem non manserit. Castrum, templum, & omnia ædificia cremata, hominesque primo impetu misere trucidati fuerunt, ut vix quispiam vitam servasset, nisi Titus cædis finem faciens, reliquos captivos ducere jussisset. Hinc multa millia Alexandriam missi, varias operas serviles facere coacti sunt. Multi bestiis objecti, multi pecunia vilissima, triginta videlicet, uno argenteo venditi sunt. Quin adeo sevitum fuit in occupatione urbis, ut Titus Vespasianus, postquam urbem intravit, lacrymas miserit, dicens: *O Deus, tu vides, quod ego hac non facio, tanti mali culpa non est in me!* Hæc omnia vero peccatis suis sibi superinduxerant. Hinc ait ipse Josephus: *Puto, si Romani contra noxios venire tardassent, aut hiatu terra devorandam fuisset civitatem, aut diluvio perituram, aut fulminum ac Sodomæ incendia passuram.*

Hoc quotannis ideo in Ecclesia prædicatur, ut hinc agnoscamus, quanta peccata abominatio sint, in oculis Dei sanctissimi, ut etiam urbes & domicilia ad vindictam tra-

hantur, quando incolæ peccatis Deum offendunt. Esa. 2. v. 15.

Hic scrutare te, mi Christiane! annon funestum illud bellum, quod dilectam nostram Germaniam inundavit, & vastavit peccatis tuis & ipse provocaveris?

Quando scripturas evolvimus, Deum idololatriam bello vindicasse, deprehendimus, sicut liber Judicum abunde testatur cap. II. & III. Bello punivit perjurium, ut Zedekia, Rex Judææ expertus est, Ezech. 17. v. 15. Bello animadvertit in contemtores verbi sui, hinc ait ad Judæos: Pro eo, quod non audistis verba mea, ecce ego mittam, & assumam, Jer. 25. v. 9. Bello castigavit libidines, stupra, adulteria, incestum, & alia flagitia, contra sextum præceptum commissa, exemplo esse potest tribus Benjamin propterea fere deleta, Jud. 20. v. 35.

Bello multavit crapulam & ebrietatem, comeditis arietes de grege, & vitulos de loco, ubi saginantur pecora, Amos 6. vers. 5.

Bello vindicavit, avaritiam & fœnora. Mala enim parta male dilabuntur. Quando itaque opes per fas & nefas corrumpuntur, immittit Deus milites terræ, quæ illas rapiunt: qui vero illas collegerunt, derelinquere coguntur easdem, sicut perdix fovet ova, eaque non excludit, Jerem. 17. vers. 11.

Hic quislibet sibi ad animum revocet, quomodo in Germania vixerimus, & deprehendet, omnia hæc peccata sine ullo propudio commissa esse. Ideo Deus pro justitia sua non aliter potuit, quin bellis, rapinis & vastationibus & incendiis per triginta annos omnia miscuerit in dilecta patria nostra, quorum vestigia passim adhuc visuntur,

tanquam *μαρτύριον τῆς ανομίας*, testimoni-
um malitiæ: ut de incendio Sodomæ dici-
tur, Sap. 10, 7. Jer. 2, 19.

Utinam saperemus, & intelligeremus,
ac novissima nostra provideremus, Deut.
32. v. 29. Ad eremum perducet omnem
terram iniquitas, Sap. 6. v. 1. Quodsi igitur
Deus non eradicare, destruere, & disperde-
re: sed potius ædificare & plantare nos de-
bet: Jer. 18. v. 7. peccata declinemus, & ne-
gotia nostra in iudicio disponamus oportet,
Psal. 112. v. 5.

Diligite iustitiam, qui iudicatis terram.
Sap. 1. v. 1. indicate pupillo, defendite vidu-
am, Esa. 1. v. 17. sic regimen vestrum confir-
mabit, confortabitque seras portarum ve-
strarum, Psal. 147. v. 13.

Diligite iustitiam vos cives & subditi! ne
quis supergrediatur, neque circumveniat
in negotio fratrem suum: quoniam vin-
dex est Dominus de his omnibus, 1. Theff.
4. v. 7. Hoc si factum fuerit, Deus brevi sa-
nabit fracturas terræ, quæ ita commota est,
Psal. 60. v. 4. bonisque donabit majoribus,
quam habuimus antea, Ezech. 36. vers. 11.
Non enim delectatur in perditionibus no-
stris, Tob. 3. v. 22, 23.

III. *Prophanationem templi adulterinam.*
Sicuti enim in prælecto Evangelio audi-
mus, templum in forum pecorum com-
mutatum fuit. Quia enim Judæi, qui è
remotis locis adveniebant, pecudes ad-
ducere non poterant, quæ sacrificiis de-
stinatæ erant, ne vacui apparerent in con-
spectu Domini, Exod. 23. v. 16. Pontifices
omnis generis pecora in templo vendi cu-
rarunt, ut quilibet, quæ devotioni suæ con-
grua censeret, potiri posset. Erant quo-
que numularii in templo, qui pecuniam

provincialem pro extranea permutabant,
quo hoc ipso quæ necessitatis erant, emergere,
& indigentia suæ consulere possent, Joh. 2.
vers. 14.

Sed hæc turpissima templi prophanatio
fuit, quod non ut in eò emeretur ac vende-
retur, sed cultus Dei in eodem perageretur,
exstructum erat, ad confitendum no-
men Domini, Psal. 122. v. 4.

*Hic velim probes te, mi Christiane! utrum
& ipse hac intentione ad eum Domini accesseris,
eandemque vanis cogitatis, dictis & factis
prophanaveris?*

Hoc toties fit, quoties celebratio cultus
divini contemnitur, aut non ea devotione
qua debebat celebratur.

Templa nihil aliud sunt, quam *scholæ no-
stræ*, ubi Doctor eruditæ linguæ, Esa. 50, 41.
per ministros suos utilia nos docet, Esa. 48.
v. 17. artem recte credendi, patienter feren-
di, utiliter orandi, Christiane vivendi, &
beate moriendi. Hæc scire, supereminens
scientia est, Eph. 3. v. 19.

Templa sunt *domus nostra consolatoria.*
In hoc mundo multæ sunt tribulationes
justorum, Psal. 34. v. 20. ut ad pacem ama-
ritudo ipsis amara, Esa. 38. v. 17. Ideo opti-
me sibi consulit, qui cum Assapho intrat in
sanctuarium Dei, Psal. 73. v. 17. Ibi reperit
solatium adversus peccata, Col. 2. v. 14.
Solatium adversus mortem, 1. Cor. 15. v. 55.
Solatium adversus persecutiones mundi,
Joh. 16. v. 33. Solatium item contra omnes
miserias. Deum enim diligentibus omnia in
bonum operantur, Rom. 8. v. 28.

Templa sunt *domus nostra precatoria*, ubi
*quasi manu facta Deum adoramus, hac enim
vis ei grata est, ut Tertullianus ait. Omnes
enim qui ita ad eum confluerunt, facies co-
rua*

rum non sunt confusa, Pl. 34, 6. Quamvis enim in N. T. nulli certo loco adstricti sumus, ut Judæi in V. T. sed in spiritu & veritate, Joh. 4. v. 23, in omni loco, 1. Tim. 2. v. 8. omni tempore, Eph. 6. v. 18. Patrem adorare possimus: nostrum tamen erit, non deserere collectionem nostram, Heb. 10. v. 25. sed unanimiter in æde Domini comparere, precibusque nostris Dei auxilium implorare. Vis enim unita fortior, Eccl. 4. v. 12. Matth. 18. v. 19.

1. Per idololatriam, sicut in Papatu fit, ubi idola divino cultu afficiuntur, Hab. 2. v. 19.

2. Per somnolentiam. Domus enim Dei domus orationis est. Eccl. 4. v. 17.

3. Per Confabulationes.

De Secundo.

Digrediemur nunc ad alteram partem, *ἡ ἡμετέρας*, sive notitiam Domini nostri Jesu Christi perpensuri. Hic nobis in Evangelio hoc nostro meditandus proponitur:

I. *Tanquam miseria nostra deplorator.* Sicut enim Dominus super Hierosolymis fleuit: sic & adhuc hodie propter nos lacrymas effundit, quando in peccatis contra conscientiam viventes, prono cursu ad infernum ferimur.

Judæi omnium beneficiorum Dei indigni erant, ideo Deus constituerat secum, eosdem à facie sua projicere: id non latebat Dominum: propterea intuitu miseriarum eorundem, animus ejus adeo commovetur, ut lacrymas continere non possit. Irrita enim est anima ejus, super miseria Israelis, Jud. 10. v. 16.

In mundo varix lacrymæ profundun-

tur, quarum alix *futiles*, alix vero *utiles* appellari possunt.

Inveniuntur enim, qui animo fallendi ex hypocrisi lacrymantur, sicut *Delila*, Jud. 14. v. 16. 17. sive ex consuetudine: ut Poeta de foeminis ait:

*non fuit Delila
sed uxor Simo-
nis.*

Ut flierent, oculos erudiere suos. Sive ex malitia & vindictæ cupiditate, sicut Esau, Gen. 27. v. 38.

His lacrymis Deus non delectatur: sed ut easdem odio bahet: sic taliter flentibus crucem immittere solet, qua iis ferias lacrymas exprimit. Quod si vero ad frugem redire nolint, die extremo dolores furoris sui iis divisurus est, Job. 21. v. 17. missurusque eosdem in tenebras exteriores, ubi fletus & stridor dentium, Matth. 22. v. 13.

Deinde, quoque ab hominibus stillantur, *lacrymæ penitentiales*. Joel. 2. v. 12.

Lacrymæ amoriferae, quas David & Jonathan emiserunt, 1. Sam. 20. v. 41.

Lacrymæ precatoria, velut in Hanna matre Samuelis videmus, 1. Sam. 20. l. v. 10.

Verùm Christi lacrymas, quas super Hierosolymis effudit, intueri debemus:

1. Ut *informatrices*, Christum enim verum hominem esse probant, quod per omnia fratribus suis assimilatus fuerit, excepto peccato. Heb. 2. v. 17.

Hoc nobis in solatium vergit. Habemus enim in eo Pontificem, qui compatitur infirmitatibus nostris. Heb. 4. v. 15.

2. Ut *Consolatrices*. Sicut igitur egenus factus est, ut illius inopia nos divites essemus, 2. Cor. 8. v. 9. sic etiam fleuit, ut omnes lacrymas abstergeret ab oculis nostris, Apoc. 7. v. ult.

Lacrymæ alias sunt legati dolorum, ut Cyprianus loquitur, & *sanguis animi vulnerati*,

Brea-